
ORATIO
IN FUNERE
JOSEPHI MARIÆ THOMASII
S. R. E.
CARDINALIS
Ex Ord. Cleric. Reg.

HABITA PATAVII

In Templo ejuſdem Ord.

A JACOBO GIACOMETTI.

PATAVII, M. DCC. XIII.
Typis Seminarii. *Superiorum Permiſſu.*

CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.



B argumenti amplitudine, BEATISSIME PATER, longe abeſt ratio hæc; aberit fortaſſe longe, quacun- e expendatur juſte ad illud: nihilo- nus & ubi dicendi facultas minor ſit

eo, qui laudatur, rem bene se habere ait D. Gregorius Nazianzenus in funebri Encomio [*], *quo ita ipse eloquentissimum quenque superavit, ut eloquentiam omnem superabat is, cujus de laudibus agebatur: hoc enim declarat, inquit,* κρεῖττον ἢ κατὰ λόγου δύναμιν, εἶναι τὸν εὐφημούμενον. *Ut autem producerem* SANCTITATI TUÆ *dicatam, præter autoritatem verendam ejus, a quo voluntas pendet nostra, cujus incredibili humanitate, ac liberalitate fovemur; causa non hortata solum est, sed impulit etiam. Quid enim,* PONTIFEX SUMME, *tam proprie tuum; quid e sanctitate, & sapientia tua magis; ad famam perennem Pontificatus tui monumentum quodnam illustrius, quàm* THOMASIUS? *par votis Ecclesiæ universæ, cùm Cardinalis a Te dictus; Ecclesiæ universæ jactura habitus, cùm mortuus; lætitia pro illo, mœstitia pro il-*

[*] εἰς Βασίλειον.

lo pu-

lo publica, & inusitata. Res tuæ celebrabuntur, maximæ omnes; profectæ omnes a gravitate, providentia, mente, virtute divina, qua Christianum Populum moderaris, & ut diu moderere, obsecramus Deum Immortalem, qui Te Elegit: profecto inter facta ingentia tua THOMASIUS erit, a Te amore, a Te honore excellenter ornatus, illuc evectus, unde, quantus erat, & quanta bonitate, ac doctrina, toti esset Christianæ rei. Nec vero fas mihi dubitare, quin hoc tenuiter elucubratum a tenui, & SANCTITATI TUÆ oblatum, qui ad disciplinas tuasque gravissimas, Latinæ facundiæ; & politioris elegantiæ laude flores, quàm qui pulcherrime ætate nostra; excipias benigne tamen, saltem propter sanctitatem hominis, quem habui in animo commendare stylo simplici, fuco nullo quasito, procul ascititiis, fictisque summotis;

ad quæ confugere tantum solent, quibus propriæ res, quas prædicent, veræque desunt; ratus & hic decere maxime *, τὸ μὴ πλάσμασι, μηδὲ μύθοις, αὐτοῖς δὲ τοῖς πράγμασι καλλωπίζεσθαι, ὧν πολλοὶ μάρτυρες. *CARDINALIS integerrimi, & sapientissimi vitam, vitæ testes vivos, præsentesque recito coram SANCTITATE TUA, teste maximo Virtutum ejus: Has unas infero augusto Sacrario Tuo cum religione animi mei, & osculis, quæ procumbens in genua affigo Pedibus*

* ibid.

BEATITUDINIS TUÆ

Patavii Kal. Jun. ∞ DCCXIII

Servus humillimus
Jacobus Giacometti.

ORA-

ORATIO

QUem ingenti gratulatione, & lætitia Urbis effusa, nuper in Cardinalium numerum adscriptum vidimus, qui Romæ fuimus, probitatis exquisitæ fama nobilem, magnum, religiosissimi Patres, disciplinæ vestræ alumnum, lumenque clarissimum Ordinis vestri, Josephum Mariam Thomasium; accidisse velim nihil minus, quàm ut repente, sub ipsa initia Dignitatis amplissimæ, cum gravi mœrore bonorum omnium erepto e vivis, exequiarum justis indictis, pietatis officio supremo, parentaremus. In causa dolendi præcipua non privata modo, sed publica etiam, propter acerbissimam jacturam ejus, qui sublimi jam loco positus latius extenderet virtutem suam; lucemque morum suorum in totam rem Christianam Princeps Ecclesiæ disseminaret: levamen & nostrum est, quod esse solet lugentium sapienter damna similia; si putemus nihil adversi contigisse linquenti hæc humana, quæ semper contemsit; si decessisse libenter cogitemus migrantem ad immortalia, quæ unice optavit; si consiliorum, factorumque ejus recordatio alte inhæreat animis nostris; si vita cępta sancte, & acta sancte, ita mentis oculis obversetur, ut, quem amisimus, amissi memoria perfruamur. Hac potissimum ratione, quæ semper visa op-

portunissima esse consulte dolentibus, quæ veram erga mortuos benevolentiam significare, vestra autoritate jussus ego tristitiam, qua communiter angimur, minuere præsentem, & solari in posterum etiam, video statim difficillimum illud instituenti laudationem, ut ornamenta exequar omnia, quæ incomparabilis viri fuere; aut, quæ aggrediar ex omnibus commemorare, horum dignitatem, gravitatemque dicendo exæquem. Sed neque recensebo omnia laudando; & quæ constitui recensere, sunt ejusmodi, ut pulcherrima videri debeant ipsa per se; & fateatur quilibet inusitata, qui excipiat narrata tantum. Sunt illa, Auditores, quæ pene postrema Cardinalis optimi vitam clausere: quorum ut nos aliis testes esse possemus, non necessarium nobis esset audire ab aliis; fors ita tulit, ut præsentes nostris oculis videremus. Pronunciaverat Pontifex Summus nomina eorum, quos in Cardinalium loca vacua suffecisset, postquam expectatio ingens, ac diuturna fuerat, quosnam sufficeret. Vel claros pro Romana Ecclesia legationibus obitis pronunciaverat, vel Regum maximorum gratia, & commendatione florentes, vel pervagata opinione doctrinæ raræ celebres, vel præstanti opera eximios almæ Curiæ impensa diu, omnes consensu omnium integritate singulari a Pontifice tanto Dignitatem tantam promeritos; Thomasium inter hos. Momento temporis nuncii advolant: eodem fere momento venit ad aures civitatis, recusare Thomasium. Audita res insolita continuo rapit frequentem multitudinem

in

in partem illam Quirinalis, in qua domus recusantis, haud facile credituros, etiam si cernerent. Propius accipiunt, Thomasium perstare in negando; manere illi mentem immotam; frustra circumsederi; frustra tentari; quati frustra; cadere irritum quemcunque laborem; proficere neminem; ne illum quidem proficere, qui Familiæ ejus quondam Filius, tunc forte Hospes erat, Cardinalem Pignatellum; quantacunque polleret homo gravissimus sententiæ vi, urgentem valide, & instantem obluctanti fortius, operam perdere. Biduum firmissime restitit, prædicantibus omnibus constantiam ejus, qui, magnis hortatoribus assidue admotis, nihilque moventibus stabilem contra, refutantem vel deprecantem, passus se vinci non ante esset, quàm Cardinalis Ferrarius denunciaret, velle Pontificem. Huic volenti paruit. O Thomasium, tunc ego mecum, o virtutem tuam, qui vicisti teipsum! In quo suspicimus alios, in eo excellere tibi facile fuit, ut delatum Honorem recusares: te miramur, in quo nihil solet esse difficile aliis, ut Dignitatem, præsertim talem, minime respuant. Eloquor eadem nunc: Thomasium, quandiu in voluntate suscepta perseveravit Honorem splendidissimum recusandi, fecisse, quod non valde sibi difficile esset; fecisse prorsus difficile sibi, ubi in Honorem illum flexit animum: qui & subierit, quod detrectabat; & cùm subiisset, admiranda quadam virtute gesserit, affirmo Thomasium habendum multo maximum. Dubitamus?

Cùm

Cùm obsisteret, ita Thomasius agebat ex proposito mentis antiquo, ita ex vitæ instituto inveterato, ita ex firmitate animi corroborata, ut prope in naturam aliam, si se dederet, verteretur. Dum a Thomasio Thomasius amovebatur, annos sexaginta quinque natus erat. Quem ætas tam longa non confirmat, ut, quæ studia puer amplexus dimisit postea nunquam; quæ jam tum amari cępta magnopere, & diligentissime exerceri, tempus diuturnum, & usus assiduus intime infixit, malit semper hæc, nolit unquam, aut velit ægre dissimilia? Nondum puer hic, qui nulla posset adhuc ratione certa deliberare, quid sibi maxime expediret sequendum in vita; qui nullo adhuc discrimine rerum discernere, quarum sibi oporteret curam esse perpetuam, & anxiam; insitam tamen virtutem habuit, qua, consilii capiendi simul atque facultas esset, instabiles, & caducas nihili duceret; vim habuit inditam ab ortu primo, qua voluntatem suam ad sempiternas, & nunquam lapsuras inclinaret. Erat editus sanguine illo, cujus instinctus ferret omnes editos inde ad æterna concupiscenda, ad posthabenda præsentia futuris, bona minima collata cum his, quantumvis magna: procreatus erat majoribus illis, qui & nobilitate genus illustre, & pulcre factis præstabile nomen, & prævalidas familiæ opes, fulgentes etiam jure imperii a Summis Regibus concesso in populos, habita apprime hominibus in pretio decora, ipsi tamen sic habuere, ut majora sedulo inquirerent, & avide meliora consectarentur; quidam etiam, quò

contenderent expeditius, ultro familiam, genus, potentiam abdicarent: parentes genuerant, qui genitum ita alerent, & educarent in claritatem, & divitias avitas, ut ſimul monerent, patrimonia opima non eſſe, quæ tradita aliquando acciperet; germanam gloriam non eſſe, in quam ſuccreſceret; eſſe hereditatem confertiſſimam, eſſe poſſeſſionem honoris incorruptam, quæ maneret alibi, quærenda enixe, ſi ſaperet, ſola quærenda. Mater præſertim bonitatis matrona lectiſſimæ docebat hæc, ſermone potentius docebat, moribus ſuis. In domo pleniſſima religionis, ad modeſtiam intus foriſque compoſita, ſummis infimis ad ingenium familiæ probæ, ad normam abſolutam matriſfamilias conformatis; in penetralia, quæ ſanctitatis interioris, & propriæ ſecreta ſedes, quotidie dulciſſima pignora ad ſe vocabat: parvulis materne aſſidens, arte molliſſima teneros animos aſſuefaciebat divinis tantum amandis: ætate inde, ac mente firmiores premebat arctius: obortis lacrimis complexa orabat, nulla præoptarent, nulla iis, quæ nunquam eſſent interitura: obſecrabat; quæ a matre audirent, cum matre legerent & meditarentur, hæc meminiſſent, quandiu viverent: ſubinde etiam inter ardentiſſima vota Deum adorantium ſimul, concorditerque precantium, ut propitius eſſet, qui poſſet unus bonam mentem injicere, injectamque conſtabilire; datis flagellis manus armabat, hortata verbis, hortata exemplo, ut bellum ſibi indicerent, ſibique inferrent, ſuperaturi facile obſtantia quævis, ſi aſpera tolerando didiciſſent non ſe diligere.

Tan-

Tanquam conſpirantes contra mortalia, a deſiderio, & a conſpectu eorum abſtulit ſubita fuga filios quinque, cùm ſex eſſent; ipſam facti autorem matrem abſtulit non multo poſt; recta petentes munitiſſimas arces, prohibentes illa longiſſime, a quibus vellent ſe diſſociatos, & ſecluſos in perpetuum. Alii loca alia tenuere tuta præſidio ſanctitatis: Joſephus, Caroli patrui veſtigia ſecutus impreſſa recens, tenuit loca veſtra, optimi Patres, providentiæ divinæ munere plane admirabili, & ſeculis ante omnibus inaudito, conſtituta iis, qui, abjecta ſolicitudine terrenorum, ſola cæleſtia deſiderarent. Fecere omnes animoſe; Joſephus in primis, Principatu domeſtico Lampeduſæ, & Palmæ ſibi intercluſo, in quem genitus ante alios ſucceſſurus eſſet. Summa rei Thomaſiæ ſplendentis inter Siculos vergebat in illum: ille præ ceteris heres familiæ, ille gloriæ, caput ille ſanguinis, ſpeſque ille generis. Cùm ornamenta cuncta, bona, fortunæ, jura plurima, ac nitidiſſima gentis ad Joſephum maxime deferrentur; ne unquam obtineret, ſe ſubduxit.

Spernenti humana patuit campus: in patentem ſe conjecit. Qui multo ante ſecum ſtatuerat, antiquitatem originis, majorum imagines, magnificos titulos, ſonantia nomina, jactata vulgo, eſſe fumum excruciantem male ſanos; in deſpicientiam horum ſumme exarſit inter illos, a quibus & claritudo generis, & amplitudo familiæ mutata libenter eſſet cum arcta vita, & latente in ſanctitate: qui pridem decreverat, facultates, poſſeſſiones, opulen-

tiam,

tiam, conquisita passim anxie, esse impedimenta, esse pondera in alta tendentibus; despuit contemtissima apud illos, quibus recepit Christus ipse, omnia possessuros, si nihil haberent; omnia habituros, si nihil peterent; omnia nihil habentibus, nihilque petentibus illo interim, qui recepit, bonitate ineffabili suppeditante. Cùm omnia, quæcunque hìc audiret, quæcunque videret, invitamenta essent ad animi excelsitatem terrena cuncta prætereuntis; exemplum Caroli patrui incitabat præter cetera, ejus, qui familiarem Principatum deposuerat, quem ipse, dum sibi imponeretur, non tanti putaverat expectare, ut præeuntem sequeretur: jam asecutus dabat operam, ut mores, non sanguis, propinquos facerent; virtus elaborata, severitas in se eadem, necessitudo conjunctissima esset, non quam natura tribuisset. Servantissimus, ut ille fuerat, eorum omnium, quæ Sodalitatis religiosissimæ præciperet publica lex, impense custodita, ut custodiret ipse impensius, legem privatam sibi sanxerat: obedientiæ, abstinentiæ, patientiæ, quæ reliquorum exacta studia esent, addidit sua: mentem Deo summisam, charitatem illius ferventem, propter illum irrequietam charitatem aliorum, studiosius a se postulabat: definita tempora Deum orandi per preces, definita laudandi, definita satagendi, quæ Dei essent, & ad cultum ejus pertinerent, habuit ipse nulla: quamvis industria obtegeret, quidquid sancte, pieque privatim ageret; clam semper ageret & abscondite, omnium oculis & scientia evitata: constat

ſtat nihilominus, ſolitudines captare ſolitum, quibus ſua occuleret, nocte intempeſta, rebus divinis attentiſſime, & ardentiſſime meditandis, ante aras Templi ſuſpirantem, lacrimantemque pervigilaſſe: conſtat, ſectantem maxime quæque dura, cùm minime videretur, paupertate, & egeſtate quadam recondita ſeſe afflictaſſe; bellum irreconciliabile ſecum ſuſcepiſſe, atque in ſuſceptum ſic inſtitiſſe, ut ne vires quidem laſſitudine extrema attenuatæ pacem ullam inducerent. Se macerantem, conterentemque non videbamus: apparuere in corpore mortuo tantum inſignitæ grandeſque notæ ſe contundentis, ſe lacerantis: at videbamus etiam in vivo, quæ indicarent, talia illum in ſe facere: macies in vultu quaſi conſumti; genæ pallidæ & exhauſtæ; retruſi oculi & enecti; greſſus languidi & membra trahentis; imbecilli artus & labentes, una animi virtute fulti. Voluiſſet extare neque hæc; qui ſuſpicari ubi poſſet, oſtendi ſe non de facie noſcentibus, aut ſe obtutibus peti ab obviis, pudibundus ſe colligebat, vitabunduſque, quantum liceret, & fieri poſſet, a ſpectantium viſu deflectebat: illam eſſe Thomaſii obſcuritatem voluiſſet, ut, qui nullus haberi cuperet, nullus etiam haberetur. Sed tantus cùm eſſet, & Romæ eſſet in urbe tanta, civitate perſpicaciſſima, quanti quiſque ſit, Thomaſius deliteſceret? Ferebatur quacunque nomen vel inviti: percrebuerat ſermo paſſim, Thomaſium exemplum eſſe ſanctimoniæ ſingularis ſeculo noſtro: magni Principes, magni Præſules, Viri magni frequenter adibant, ut, quod ille mini-

me

me intelligeret, perfectæ probitatis imaginem etiam oculis usurparent; ut, quod ille recusare minime posset, in maximis difficultatibus animi adjutore uterentur; consulerent peritissimum dirigendi iter aliorum, quò ipse jam pervenisset; rectorem, ducemque sumerent, strenue præterlapsum scopulos illos, ad quos paucorum esset non appellere, & appulsos non adhærescere.

In hac sanctitatis luce clarissima ut conspectior esset, lucem adjiciebat fama doctrinæ, quæ morum laudem excellenter illuminat; & bonitate amabiles solet efficere, ut amentur enixius. Nullum disciplinæ genus, in quo Thomasius non ita versatus, ut in illo uno versatus videretur: nulla antiqua, nulla recentia monumenta, quæ non solertissime ab illo pervoluta: paratus dubitantibus erat, paratus exagitantibus, quidquid scituri, scitive proponerent: inter doctissimos judex difficilium controversiarum; quarundam etiam idoneus judex Romæ solus. Sed quemadmodum vitæ, sic etiam eruditionis genere custos, & tenax propositi sui humana ubique fugitantis, delegit sapientiæ partem, in qua præcipue laboraret, nihil vanam, nihil fucatam, non inaniter absorbentem ingenia, non animos misere ludificantem; sed unam totius verissimam, fructuosissimamque delegit, partem Divinam. Ad caput ipsum, & fontem ipsum, a quo simplicissima veritas manat, & fructus uberrimus proficiscitur, Deum, naturam ejus, & opera cognoscenda sese contulit, Theologica subtilissima con-

ten-

tente, acuteque speculatus: quæ in Dei cultum, ac præstantissimæ, & beneficentissimæ naturæ ejus reverentiam vetus, & hodierna Romana Ecclesia observaret, ritus, ceremonias, solemnia, indagata & inspecta perfectissime calluit: Patrum Latinorum, & Græcorum sententias de Deo, rebusque divinis, eorundem decreta, & effata de moribus Christiane regendis, temperandisque ad regulam divinitus promulgatam; collegit affatim; & naviter Latine, Græceque explicavit: libris etiam editis sacra literatura refertissimis, doctrinæ, & sanctitatis copia omnigena exuberantibus; & libris edendis aliis, Religioni Christianæ utilissimis, nisi instruentem, & adornantem mors occupasset.

Etiam hìc mire modestum cura non tetigit, solita tangere vel modestissimos, ut saltem nomen suum inscribant in libris suis. Quos emisit in lucem primum, horum autorem se celavit: circumferebantur, legebantur, laudabanturque, tanquam latifundia scientiæ arcanæ, corrivata in unum volumina Patrum, rivique exundantes haurire volentibus Catholica dogmata: sed tantæ rei compendium cui referendum esset acceptum, obscurum erat. Detectus Thomasius autor, inclaruit postmodum modestia alia. Sumserat interpretandum ΑΓΚΥΡΩΤΟΣ, celebre Opus gravissimi, sanctissimique Patris Epiphanii: accuratissime interpretatus, protulit in adspectum. Difficultas ubique molesta transferendi scite Græca in linguam Latinam, molestior autem multo in illo Scriptore, propter vetustatis labes, & maculas ibi penitus insidentes,

tes,

tes, objecta passim impedita, salebrosa, mutila, hiantia, lassatura conantem quemlibet, interritum, invictumque a labore: impulit in lapsus explanatorem magnum magnique nominis, candide jam professum inter præruptissima haudquaquam se tutum a lapsibus. Menda viri doctissimi Thomasius vidit: sustulit etiam; peritorum sententia, recte sustulit feliciterque: interea tamen emendantis vocem suppressit: nullam censoriam virgulam expedivit: nullum regentis aberrantem, monentis verbum nullum: quietus, ac tacitus emendavit, paratus ne hiscere quidem, nisi Epiphanius ipse lectus novum interpretem suum, novumque ingenium ejus demonstrasset; nisi prudentes, catique judices Eruditorum magna de beneficio hoc, magna de moderatione generis hujus præconia fecissent.

Existimationis tantæ, quæ nihil eunti obviam, quin etiam aversanti, ultro tamen sese offerebat, adeo nulla unquam dulcedo fuit, sensus adeo nullus, ut nunquam putaverit æquum haberi uspiam rationem sui; rejecerit semel, iterum, ac sæpius habitam. Suis maluit subesse semper, quàm unquam præesse: quidquid extolleret supra ceteros, semper repulit: a Summis Pontificibus accitus ad munia, quæ petere candidati plurimi solent, summisse renuit: Pontificia autoritate adactus ad quædam, obtestatus est, ut ea condicione capesseret, ne ultra certum tempus honos ille sibi prorogaretur. Munus fuit unum libenti assignatum, occęptumque libenter, quòd onus magis, quàm honor esset, ut negotia ageret pro-

curator Collegii ejus, a quo Catholica Fides propagatur. Provinciam hanc, succeſsore nunquam dato, ſucceſsore petito nunquam, Thomaſius egregia animi alacritate adminiſtravit; qui probe norat, non finibus domus unius, non unius gentis limitibus circunſcriptam provinciam ſe gerere, ſed univerſi Chriſtiani Orbis, Religionis univerſæ noſtræ, quocunque terrarum, & populorum hanc aliquando, Deo aſpirante, perducendam ſperaretur, ſpatiis ac regione patentem, ſe gerere, cùm illius Seminarii, ubi ex inclementi ac ſterili ſolo advectas plantas teneras, & miti ac feraci ſtatim inſitas, mira pietatis & ſtudiorum diligentia Roma educeret, & eductas, jamque fructibus tempeſtivas remitteret, unde advenerant, fertiles Orthodoxæ Veritati inter populos caligine falſitatis circumfuſos; rationes defenderet, & commoda conſervaret, curatione rei maximæ addicta Eccleſiæ, nudum procuratoris nomen vindicante Thomaſio; qui, ſi nudo nomine levius quidpiam eſset, hoc maluiſset: ita in eo, quod velle cœperat, perdurabat, ut nihil unquam vellet extra ſeipſum, & animum ſuum, nunquam nutans, firmior in dies, quò in dies exercitatior ad facienda nihili, quorum deſiderium torquet alios.

Audiebat interea allata ex longinquo, quæ ardentem hortando incenderent: macte virtute eſto, o ſanguis meus: macte animi vir, o ſanguis noſter: pluſquam viriles Matris, ac Sororum ſpiritus excipiebat; quæ rebus hiſce inconſtantibus, & perituris qua fortitudine

ter-

terga dederant, nactæ majores a fuga vires; cursu citatissimo eò jam devenerant, ut vox una omnium ingentes illarum animos, & admirabiles celebraret. Mater primario loco nata ex Trainensium propagine Panormi inclyta, amisso patre, cura patrui Episcopi Agrigentini, neptis unica, familiæ superstes una, sancte adoleverat: nuptias, opibus coacervatis in unam beatas, diu refugit: domus, in quam nupsit, illa traxit: ast consilio avulsa nunquam, virum jam liberorum multorum patrem rogaverat, liceret abire: ne amplius rediret, tenacibus vinculis religionis se Deo adstrinxerat: omnium oblita, obliviscenda omnibus, in vita rigida, squalore obsita, vita; quæ mortis instar, amat exinde nuncupari Sepulta. Amantissimæ, carissimæque sorores Crucifixa, & Lanceata, assumta doloris nomina, ut in Christo dolente viverent, sibi suisque emortuæ, cœlestes animæ, adsunt illi: tu Crucifixa, suavissima soror, edita cœlo, divina virtus, tu Crucifixa, fratris dulcissimus amor, ades hærenti pectore toto, ita hærenti mente tota, ut una Crucifixa cogitata omnem rerum omnium mortalium memoriam expungat, ac deleat.

Huic nos homini difficile fuisse credamus; huic abstinere Honore delato; advenienti repugnare, ut abstineret? Admittere, & attingere difficile fuit Honorem, nulla mora abstrahentem a voluntate validissima viribus, trajicientemque subito in dissimillimam, & pristinæ oppositam. Qui acceperit, ut danti

obtemperaret; qui potenter, ut acciperet; sibi imperarit, ajo hunc tetendisse per ardua, nixumque per aspera. Certantis, ac desudantis, laboris, & æstus, dum pervaderet, illa quæ vidimus, signa fuere. Studium autem nostrum videndi, & pervidendi quis reprehendat? Ibi peregrinantes, nihil fere fuit in operibus manufactis, nulla tabula, nullum simulacrum, nulla supellex, quam non viseremus, si vel arte paulo elegantius, vel materia diceretur æstimabile aliquid: marmora ipsa semesa, fragmina, ac rudera ipsa, quæ illius quondam florentissimæ urbis reliquiæ aliquæ essent, visuri, publicas ac privatas domos, custodita & incustodita loca peragrabamus: per plana, per colles, saxeta, dumos, pervia, impervia venantium more conquirebamus: an non multo intentiores essemus ad penitus cognoscenda pulcra virtutis opera, quæ reversi in patriam, reflagitante, perspecte cognita narraremus?

Jussus fuerat in diem tertium accedere ad Summum Pontificem, ut Insignia Dignitatis reportaret. Eo die bene mane ad Vaticani radices constiteramus, rem totam conspecturi, ut gereretur. Ad horam indictam curru invectus aderat, turba generis omnis, ut in re lætissima, admurmurante; ut in civitate officiosissima, undequaque ad cultum ejus circumfluente. Ex illa solitudine, vitæque recessu, quò pridem sese abdiderat, Thomasium mente repete: quæ nunquam voluisset, semper defugisset, populo frequentissimo versantem in illis: audientem, videntemque, qualis & quantus

dice-

diceretur, & crederetur ab omnibus, qui semper fuisset, essetque adhuc contemtor sui ex animo: sentientem, perspicientemque oculis suis, quàm jucundam, quàm memorabilem putarent omnes illuxisse sibi diem illam, quæ Thomasium sponte latitantem, volentemque latere semper, Urbi, ac gentibus omnibus Cardinalem ostentaret. Exscensus in terram fuit is, ut congressum cum valde repugnantibus, luctantemque cum ardue vincendis, non dubie noscerers. Atria Vaticana scandebat meditabundus & conturbatus, ut qui consurgit in acerba. Ventum ubi ad limen; medius inter Cardinales, qui destinati novum adducerent in conspectum, ornandumque exhiberent, ibat per Purpuratos Proceres, tacite gratulantes advenienti; ibat vultu eodem, animo eodem, perplexo ac suspenso. Ad Summi Pontificis solium adstat. Qui Majestatem illam densi circumstant, conscensurum certatim adjuvant; omnes attollunt; & admovent expectanti. Hic tum Supremi Patris frontem explicatissimam, hilaritatem ejus toto ex ore emicantem, benevolentiam ex corde ejus intimo sese effundentem in Cardinalem suum, bonitate consummata vitæ carum, sapientia bonitatem vitæ æquante carum, prudentia rerum in magnis experta carum; cum gaudente Pontifice, quis gaudia referat omnium, quotquot rei huic intererant infiniti, Ecclesiarum principis flos Ecclesiæ, civitatis nobilissimæ flos universus, advenæ innumerabiles, quos per ea tempora non ex Italia modo, sed etiam Europæ partibus dissitis

exciverat celebratiſſimum Romæ Feſtum, Quatuor, qui vitam cęlitum duxiſſent in terris, in cęlitum numero reponendis die poſt illam? In uno illo, cujus cauſa tam communiter, tam inſigniter, tam vere gaudebatur ab omnibus, in illo uno lætitiæ notam nullam, nullam, quæ ſaltem ambigua lætitiæ nota eſſet, videbamus: at ſane videbamus multa revolventem, loquentem multa ſecum, & multa ſecum illacrimantem, cùm Pontifex ſacrum Galerum Rubrum traderet; diceretque voce graviſſima, quid traditus ille moneret. Redeuntem ita ornatum neceſſe erat Cardinalium ſingulorum petere amplexus, & ſingulis dare: amantiſſime fecit cum amantiſſimis: inde neceſſe erat gratiam ſingulis profiteri: ne quem præteriret, veſtibulum cepit, quà exituri erant ordinate: profeſſus impenſe eſt: interciſa ſubinde verba & interrupta; magis quàm verba, dolor erumpens.

At ſecum ita pugnans, ut tamen neque hìc, neque uſpiam pugnaret homo ſanctiſſimus cum voluntate divina: qui ſententiam quondam interrogatus a recuſante Dignitatem Maximam, doctiſſime, graviſſimeque ſcripto libello reſponderat; quòd tam manifeſtus, tamque notabilis eſſet ibi nutus, juſſumque Dei, quo afflante, tam concordes, tam conſtantes, tam muneri, & ponderi parem eligerent ſapientiſſimi, prudentiſſimique ſuffragatores, reſiſtendum non eſſe: ipſe nunc Cardinalis, quia ita viſum Eccleſiæ, & ita lubitum; aggredi fortiter, & agere continuo cœpit illud, ut, cui pervicerat uni, impiger obſidendo, & oppugnando acer, ani-

mum

inum suum, etiam illi uni Cardinalis esset, nunquam sibi; victoriæ ejus fructum omnem Ecclesia perciperet, nullum ipse decerperet; caveret imo, vehementerque caveret, ne ad se ullus unquam perveniret. Ne perveniret, ignotam quandam virtutem exeruit. Quantacunque sibi lux oboriretur e re tanta, quæ certe oboritur maxima omnibus, totam reflexit in Ecclesiam, nunquam ipse oblectatus splendore tanto: divitias quascunque illa tribueret, vel pateretur advocari ex olim relictis, fulcimenta Dignitatis, refudit in eandem, inter copias quascunque inops: quos illa custodes, asseclas, stipatoresque circundaret, ornamenta Honoris venerandi, laboravit ut augustiorem Honorem, non hominem facerent, comitatu circunsistente, solum nihilominus: in domo, quam expoliret supellex jussa, domum Cardinalis inhabitantis, ne ibi quidem dominus fuit rerum ullarum; hospes fuit, nisi si etiam minus quàm hospes, cui nihil, ne tandiu quidem dum ibi esset, renideret: & animum, & studia, & vires dedidit illi. Nulla igitur contentione, solicitudine nulla, non labore, non vigiliis deesse unquam; vacare nunquam, cessare nunquam, nunquam quiescere pro negotiis Ecclesiæ, quæ Cardinalem Thomasium postularent. Adibant facile omnes, audiebantur benigne omnes, quibus opus esset convento illo: pro amplitudine Dignitatis cuncta ubique publice, privateque. Jam senuerat, cùm creatus Cardinalis: senio valetudo accedebat infirma, & prope fracta: Ratio titubantis salutis nulla, timores nulli ne

hæc laberetur in deterius, non morbi ipsi, ne ille quidem, qui vitam abstulit, a fungendis, quæ Cardinalis essent, absterruere. Fuerat illi attributus Equitii Titulus: omnia implere studuit, quæ ille posceret: navabat sedulam operam in Templo suo, contigua domo conducta, ut promptior esset: sacris faciendis præsens erat: Sacramentorum minister ipse: ceterorum permixtus choro preces diurnas nocturnasque canebat: Christianæ scientiæ rudes ipse erudiebat patientia mira: omnibus opportunus, facilis omnibus: ne vivam si scio, causatum unquam aliquid aut non itasse, aut isse cunctanter, quò profuturus aliis adveniret; si aut requietem ullam animo fatigato, aut corpori laxamentum ullum dedisse, scio.

Divisus in omnia, proque Ecclesia distentissimus, nihil ut videretur potuisse sibi temporis reservare; solertia tamen laudanda mirifice, exemplo & occupatissimis, & non occupatissimis imitabili, reservavit & sumsit. Dies nulla præteribat, cujus partem rebus sanctis contemplandis, sanctisque scribendis non tribueret: remotis arbitris quotidie legebat, & percurrebat æterna: congregatam quotidie familiam hortabatur ad curam sanctitatis eandem; graviter admonebat illius, cui servitutem quicunque servirent, hi demum omnium optima condicione servi essent: suasor exaudiendus, qui faceret, quæ suaderet; facientem domestici cernerent, testes etiam latentium alios. Intra tecta illa nihil erat, quod esset curantis aliquid mortalia hæc, nihil quod

non

non esset omnino aspernantis : tenuissimum, & parabile pretio minimo, quidquid intus: non parietes tegebant peripetasmata, non peristromatis erant strata ulla : nuspiam oculorum illecebræ: nuda fere omnia; munditia casta pretiosius fere nihil: sed ubique occurrebant, quæ Christianæ pietatis desiderium incuterent; quę contuentem meliorem facerent. Inde procul argenteis, procul auratis omnibus eliminatis, in mensa frugalissima vasa terrea, vasa lignea, ut plurimum panis, aqua, legumina tantum: in vestibus serica quævis, aut ex vellere peregrino; molliusve contexta artificio, sibi suisque interdixerat. Prodeuntis erat habitus idem : quo etiam conabatur efficere, ut in fama, & gloria commonstrante omnibus, tamen ignotissimus omnibus superveniret. Occultabat, quoad poterat, ipse se : occultabat ex composito familia sua, comta nihil in elegantiam, nihil exculta in morem, quę nobilior: quæ humilior, plerique pauperculi, squalore absterso puri; multi ex falsa religione abjurata, non tam famuli, quam longum agmen alendorum, comitabantur incedentem apparatu parvo & modico; omnibus circa illum vulgaribus, omnibus obsoletis, tanquam moribundum, jamque morientem.

A morte nimirum parum aberat: jam tum præsenserat se abesse parum, cùm Dignitatem iniret. Divino spiritu instinctus, ventura edoctus inde, obitum suum clam palam sine ambagibus prænunciabat. Cardinali Fabrono familiariter colloquenti cùm diceret, se accingi

gi ad iter; percontanti, quorsum? digito lætabundus cœlum ostendit. In subterranea Templi sui cùm descendisset, ducentem interrogavit, ecquantum in angulo illo caliginoso esset effodienti humus alta? tres palmos, ubi audivit; satis, inquit, gaudio gestiens, satis mihi: præbebit sepulcrum mihi effossa quamprimum. Afferenti, exiguam superesse pecuniam in usum familiæ quotidianum, tranquillus dixit, ne laboraret, si exigua illa tamen sufficeret in dies octo. Transierant nondum dies octo, cùm & labores vitæ perpetui, & exantlati postremi intensius, & austera semper, multo autem per tempus Christi Domini Adventu sacrum austeriora jejunia enervem, languentemque stravere. Ingruente morbi vi, non sustinenda infirmissimis viribus illis, stratus licet, & exanimus, tamen non sese abjecit. Noctem venerabilem mysterio Christi Nascentis, totam, hyeme crudescente, transegit insomnis: solemnibus coram Pontifice voluit interesse exanguis spiritu extremo; die sequenti ritu Ecclesiæ ter litare jam emoriens: decumbens dies reliquos, & fatiscens inter mortis angores, prima die ineuntis anni, qua die quondam Carolus patruus, perfunctus vita simili, dicata die Martyri Almachio, cujus in tutela Thomasii omnes; extinctus est, reviviscens, ac reflorescens in annos æternos.

Scripserunt, qui solent verissima scribere, mortem ejus fuisse auditam, quàm potuit unquam tristissimo animo, aut potest mors audiri cujusquam optimi; ex urbe tota con-

cur-

curriſſe lamentantes : pene elatum manibus conquerentium : ſepulturam ejus vultu mœſto, ac lugubri populum celebraſſe : temperatum nullis eorum, quæ in hominum ſanctiſsimorum morte uſitata religio eſt : libata oſcula pheretro, preſſa veſtibus, pedibus ingeminata jacentis : Cardinales, Principes, Legatos, Primores, ut in vivum, ſic in mortuum pietate certaſſe : quod aut fuiſſet unquam viventis, aut mortuum contigiſſet utcunque, ſecum qui inde ferret, minutulum etiam, tuliſſe ut quod ſibi eſſet commutabile cum re pretioſiſsima nulla. Mortem ſubſecuta miranda : perniciem non unam inſanabilem, implorata ope ejus, repente ſanatam & in urbe, & extra urbem : ſincere veneratos imaginem ejus, doloribus obſtinatiſsimis fuiſſe ſolutos illico : nomine ejus invocato, deſiiſſe torqueri male diu vexatos ab humani generis hoſte, dira & execranda vomente in expulſorem. Hæc & alia teſtata eſſe : maturo ſacroſanctæ Eccleſiæ judicio obnoxia. * Scifcitantibus de illo, quod in mortuos ſtatim inquiritur, non leve momentum famæ in partem utranque, teſtamentum quale conſcripſerit, reſpondent : feciſſe neminem heredem pecuniæ, quam reliquerit, quanta vix diem unum parva domus, frugi, ac ſobria victitaret : hanc quantulamcunque ex teſtamento creviſſe pauperes eoſdem illos, qui heredes ejus non ex parte dimidia, aut tertia, ſed ex aſſe fuiſſent defuncti nondum : legaſſe totam ſupellectilem, curtam licet, nihilque lautam, Collegio illi, cujus utilitatibus procurator

* Loquor ſecund. Decr. URB. VIII.

rator inseruisset, benevolentissimum post mortem etiam: illis legasse, quos amicissimos omnium semper habuisset, & tunc haberet, supra consanguineos omnes, & affines qui optati & dulces essent, vobis, spectatissimi Patres, nihil præter sanctitatem, & doctrinam appetentibus, legasse scrinia sanctitatis, & doctrinæ suæ, Libros: legasse etiam prudentissime de re non sua, qui pro certo crederet, uti ipse legasset de re non sua, ita jus fore apud Thomasios: Ferdinando Palmæ Principi pronepoti, liberali & pio, familiam legasse suam juvandam auxilio: egisse, ut ex Sicilia ferret opem spoliatæ præsidio; subsidia miseros solatura domo submitteret. Testem locupletissimum Protonotarium Apostolicum Collicolam dicere: cùm seriem hanc rerum Summo Pontifici ipse exponeret volenti singula audire; isse eum in lacrimas, isse fuse intuentem allatum monumentum sepulcrale, quod ille curarat ponendum sibi. Lapis quidam erat nec bipalmis: inscriptio erat: *Josephus Maria Presbyter Cardinalis Tituli Equitii*. Thomasium silet; stirpem silet; sua seque silet, qui famam, nomen, memoriam sui omnem tumulo eodem sepultam vellet, secumque obrutam: una loquitur, quæ sunt Ecclesiæ, ne abnuat mortuus, quod ne vivus abnueret, fecerat, jubente Ecclesia, virtute tanta.

Sed famæ immortalis, nominis, ac memoriæ in posteritatem temporum omnium perpetuandæ, Thomasi Cardinalis; laude probitatis, dignitate doctrinæ, ornamentis animi omni-

omnibus, ingenii omnibus victure semper: quæ siluisti tute de te, nunquam silebit Ecclesia, locuta fastis, locuta monumentis, linguis locuta æternum, æterna, & in æternitatem condita. Rerum interim tuarum conquisitionem diligentissimam diligentissimis demandavit, ubi, & quo tempore feceris, quas semper, & ubique fecisti magnas: quæ superesse potuerunt in tanto bonorum amore habendi tuum aliquid, horum custodiam arctissimam imperavit: ut residua honore dignissima, conclusit, & sigillis Apostolicis obsignavit: resignabit, & recludet, ubi statuet de te rite, illo inspirante, cujus est gloria, gloria suorum. Ore illo, quo Veritas immutabilis, certissima, ac sempiterna Deus Optimus Maximus enunciat sua Ecclesiæ, Pontifex Summus te laudavit, te extulit, ut vere ingentem sanctitate: palam te sanctum appellavit: te in Cœtu Cardinalium maximorum, & integerrimorum omnium protulit exemplum imitandum; visus Christianorum ille Pater, Gubernatorque supremus, cum eorum quolibet comparandus, quos & sanctissimos, & sapientissimos fuisse unquam Pontifices, ac floruisse legimus, visus inter res non Pontificatus modo sui, sed etiam præcipue memorabiles Ecclesiæ cujusvis ætatis, credere, & habere Cardinalem Thomasium.

Atque hic non reticebo, Princeps Eminentissime, Georgi Corneli Cardinalis præstantissime, non reticebo Thomasii Cardinalis studium in te singulare, benevolentiam in te eximiam. Munitus nomine tuo pergebam Romæ

faci-

facile, quocunque vellem: nihil obſtitit mihi volenti pergere vel in difficilia, & inacceſſa. In illo motu rerum per valde confertos penetravi auſpiciis tuis ad Cardinalem Thomaſium, Dignitatem recentem gratulaturus verbis iis, quibus conjectura augurabar abſentem te jubere. Statim ut ille audivit, eſſe me unum Seminarii tui; & pro Cardinali Cornelio facere ſecum officioſe: oh ſuperi boni, quàm grata, quàm ampla, quàm exaggerata voluntate fuit ibi in te: quàm ille ſplendide de ornamentis maximis tuis, quàm de maxima virtute tua ille magnifice: quàm dabat operam, ut animum erga te ſuum tenerem ego, ſcirem poſſemque ad te perferre! Optimus Optimum diligebat. Ex illis beatiſſimis ſedibus te nunc præſertim diligit, bene de ſe meritum iſto dolore tuo, funus honeſtantem ſuum præſentia tua. Quamvis tu nullam gratiam exigas, recte factis tuis contentus unice; tamen inde, unde proſpectat, in felicitate perenni, in vera felicitate collocatus, pro humanitatis, pro amoris officio tibi gratiam habet. Et vobis habet, viri Nobiliſſimi, & Literatiſſimi, ex frequentia, qua conveniſtis plurima, ex dignitate, quæ magna eſt omnium, magna ſingulorum, aucto ſibi parentalium honore: mœſtis cauſa ſua; ferentibus mortem ſuam, ut qui ægerrime ferunt & acerbiſſime ubique gentium; tantam gratiam habet, quanta a tali poteſt de ſe pie meritis provenire.